Agenda Ec[illegible]

Generose Domine 1

Generose Domine Lukaszkiewicz

Amice Mi CGEMS

Opuscula in his Miscellaneis sub N[o]. contenta sunt.

1. Carmen gratulatorium in laudem Jng. adol. ab Alb. Deoyen. Crac. 1630
2. Debitum pietatis A.R. et Exc. Jac. Vitellio a Joach. Speronowic. Crac. 1638
3. Aurora natalium Jll. ac M. D. Adam. Hieron. Sieniawski. Sub. Stan. Oszedowski. C. 1638
4. Hellanodicæ virtuti, quam cum fide &c. opera Joach. Speronowic Crac. 1638.
5. Elisei Aurimontani ad Dantiscanos bellum et arma circumspicientes Epist. 1638.
6. Vindiciæ p. Cornelio Tacito a Nicol. Nowikowski Convitiatoris opposita Crac. 1638.
7. Arctos Sarmatica, quæ gener. Juv. ab Alb. Samborski monstrat. Crac. 1638.
8. Nubes Hippocratis Cl. ac Doct. Viro Andr. Wolfowicz a Thom. Canevesi dic. Crac. 1638.
9. Icon virtutis et laboris ~~[illegible]~~ Ven. ac Exc. DD. a Nic. Fatowicz Crac. 1638.
10. Pietas erudita seu oratio de nexu piet. cum erudit. Joan. Alb. Paris. Crac. 1638.
11. Tiara Episcopalis Jll. ac R[mo] D. Andr. Gebicki. Eppo Luceor. a Daniel. Otrebusz. Crac. 1638.
12. Icon heroicæ virtutis Gen. ac M. Joan. Debienski a Joan. Cynerski. Crac. 1639
13. Colossus immortalitatis Ser. ac Pot. Vlad. IV. a Balthas. Stan. Prysluski. Lublini 1638.
14. Felix Luceoria in primo ac solemni Andr. Gembicki. &c. Balt. St. Przysuski. Lublini 1639
15. Planctus in obitum Jll[ae] D[ae] Teclæ in Olyka Ducis. a Balt. Stan. Pryluski. Vars. 1637.
16. Nænia na śmierć nieśmiertelną Andrzeja Jaklinskiego. Krak. 1638 p. M. I. C. R.
17. Acroama pietatis ad festu nuptiale &c. a Joan. Cynerski.
18. Processus causæ int. insig. et perfidum Marcum Judæum, Decretum. Cr. 1636.
19. Aureus Trionis Sarmatici tripos a Ludov. Christoph. Millero Crac. 1638.
20. Minerva plaudens in Aula D. Jagiellonis ab Adamo Nowakowski Cr. 1638.
21. Dona Gratiarum Ven. D. Mart. Stan. Wolfowic. p Valerianu Alnpek Cr. 1638.
22. Róża przesadzona z ziemie do nieba w kaz. pogrz. Mikol. Lawrinowicza. Fr. Kr. 1638
23. Metamorphosis Apollinis et novæ Musæ a Joan. Nicol. Gasiewski Crac. 1637
24. Utraq. civis Jll. D. Stan. Lubomirski. &c. Joachim. Speronowicz. Crac. 1638.
25. Stephanion Studii Philosophici Rdo D. Sub. Stan. Oszedowski Crac. 1638.
26. Paterna felicitas cl. ac doct. Viro Andr. Wolfowicz a Joan. Grynwaldt. Crac. 1638.
27. Gratulatio Jll. ac R[mo] D[no] Stan. Grochowski Arch. Ep. Leop. a Mathia Glebocio. Cr. 1635.
28. Lecnopædeia seu in verna renas. stud. acad. Oratio a Steph. Niszczycki. Cr. 1638.
29. Gratiæ nuptiales Cl. et Exc. D. Stan. Spinek &c. a Joan. Cynerski.
30. In occursum Ser. Pot. invict. Princ. Vlad. IV. &c. Acad. Zamoysc. votum. 1634. Petrus Trzebinski.
31. Joppes votum p felici et exopt. incolum. Adami Opatowii a Joach. Speronowic Cr. 1638.

Authores

Alnpek Valerian.	21.	Millerus Lud. Christoph.	19.
2 Aurimontanus Eliseus.	5.	Niszczycki Steph.	28.
1 Anonymi.	16, 18.	2 Nowakowski Adamus.	20.
Canevesi Thomas	8.	Oszedowski Stanislaus	3, 25.
Cynerski Joann.	12. 17. 29.	Otrebusz Daniel	11
Deoyen Albert.	1.	Paris Joan. Albert.	10.
Fatowicz Nicol.	9.	Przysuski Balthas. Stan.	13, 14, 15.
2 Glebocius Mathias	27.	Samborski Albert.	7.
1 Gasiewski Nicolaus	23.	Nowikowski Nicol.	6.
Grynwaldt Joann.	26.	Speronowic Joachim.	2, 4. 24. 31.
Lawrinowicz Mikolay Francziskan.	22.	Trzebinski Petrus.	30.

FELIX LVCEORIA

In

Primo ac solenni

ILLVSTRISSIMI ET REVERENDISSIMI DOMINI,

D. ANDREÆ GEMBICKI,

EPISCOPI LVCEORIEN.

ABBATIS TRZEMESZNEN.

IN SVAM CATHEDRAM

INGRESSV

LÆTATVR.

Anno ab augustissimæ Virginis partu, 1639.

LVBLINI, Typis ANNÆ VIDVÆ.

13

Felicis causâ ominis.

PROVINCIA GNESNENSIS

ARCHIEPISCOPO SVO

vt verissimè,

ita reuerenter

cum canit;

PROTEVM.

Sol. Dux, Lex. Rex. Fons. Lux.

Mons. Pax. spes mea Lipski.

ILLUSTRISSIMO AC REVERENDISSIMO DOMINO,

D. IOANNI à Lipie LIPSKI,

ARCHIEPISCOPO GNESNENSI, LEGATO NATO, REGNI POLONIÆ PRIMATI, AC PRIMO PRINCIPI,

D. Domino, & Patrono Amplissimo.

EQuidem, diu multùmq́, Luceoria Felix, suæ dictioni felicissimum quærebat Patronum, Illustrissime ac Reuerendissime Princeps. Sed ecce non inuenit in Polonia feliciorem Te; tum propter morum tuorum candorem, grauitatem, comitatem, fidei Catholicæ zelum, amorem, constantiam, disciplinarum penè omnium incomparabilem, & admirabilem cognitionem; tum

propter Tuum acre iudicium, prudentiam, sapientiam, pietatem, subtilitatem styli, ac eloquentiæ vim totâ ferè Europâ maximè celebrem: tum deniq; propter magnitudinem Tuorum in Rempub. meritorum; ob quæ omnia, IESVS CHRISTVS *Princeps omnium Pastorum & Principum, hac suprema auxit Te dignitatis excellentiâ. Ad tam igitur felicem contulit se Luceoria; vt cùm ipsa tuam libens fateatur, tu quoq; agnoscas eius, felicitatem; & sententiam feras, satisnè iusta tibi videatur esse, quæ de suo Episcopo affirmat talia, & pollicetur. cui tuum iudicium grauissimum, crede mihi, erit instar amplissimi theatri. Non spero illius sermonem fore haud iucundum, tum quia est de laudibus Illustrissimi* ANDREÆ GEMBICKI *tanti viri, tamq; tibi addicti: tum quia sacerdotum mentionem fecit, in quorum virtute, salutem terrarum orbis inclusit Deus, vnde humanum genus in rebus dubiis spem, in afflictis consilium, in perditis verò flagitaret auxilium: quos ego, vt ouis pastorem, filius patrem, cliens patronum, omni prosequor honore & veneratione. Leges hîc nonnulla, quæ liberiùs dicenda existimauit Luceoria: sed quisq; prudens facilè ignoscet ei, cùm secum diligentiùs reputabit, nihil tàm Ecclesiæ proprium esse, quàm dicere, & scribere candidè; ne scilicet incurrat in suspicionem adulationis, quam fugere debemus cautiùs viperino sanguine. Idcirco etiam, si quorundam clarissimorum hominum nomina posuit, à te petit, qui hæc leges, ne quid datum esse auribus cuiusq; in hac oratione ab illa, opineris. Nàmq; illa omnes priuatorum laudes virorum, non ad priuatam alicuius ambitionem, sed ad publicam Diœcesis suæ gloriam refert: quandoquidem ea est demum, vera & incorrupta priuatorum hominum laus, quæ ad publicam maiestatem redundat. Accipies*

pies ergo, Illustrissime Princeps, felicem Luceoriam, & dignam esse protectione tua statues, quàmuis solùm res ipsas & personam, quæ in ea proponitur, considerabis. Nec ego Tuus, qui viam ad Tuam Celsitudinem monstraui Luceoriæ, à Te mitissimo Prímate & sapientissimo Principe abijciar; præsertim si Tibi venerit in mentem Illustrissimæ D. ANNÆ PLICHĆIANKA Matris Tuæ, sanctissimæ & integerrimæ fœminæ; quæ vt meam optimam parentem, suam amitinam Sororem, amore & officio complectitur: ita me eius filium, & in gratiam pridem receptum, à Tua Archiepiscopali maiestate, & Tibi innata benignitate, ne prohibeas, máximoperè obtestor. Quod superest; tametsi altiorem iam cœlis ipsis, quò progrediaris, non habeas locum, totum enim iter iam confectum est in obtenta hac immensa dignitate; sed tamen, quod canit ille, ego Tibi ex animo precor:

Serus in cælum redeas, diuq;
Lætus intersis populo Polono.

Illustrissimæ ac Reuerendissimæ

Celsitudini Tuæ

æternùm deuotus,

BALTHASAR S. PRZYLUSKI.

FELIX
LVCEORIA.

GAudeo vehementer, Illustrissime ac Reuerendissime Domine, cùm animaduerto, Te, qualem maximè optaui, Virum omni laude, & omni genere virtutis abundantissimum, multisq; fortunæ eximiis & naturæ dotibus florentissimum; immortalis Dei beneficio, summo vniuersi populi, bonorumq; omnium consensu, creatum esse meum Præsulem; atq; hodierna die, meas in sedes venisse; vt lucem dignitatis Tuæ affunderes mihi, & hanc mirificam voluntatem, ad tuendum Diuinum cultum, ad amplificandam religionem sanctam, studium incredibile declarares. Etsi ego Luceoria, Cœlesti Numine freta, nunquam dubitandum existimaui, quin Sponsum, multâ sine difficultate, longâq; expectatione habitura essem: tamen, si mihi tantæ auctoritatis, & iustitiæ, tam singularis sapientiæ homo, & præcipuè, cum tanta felicitate non contigisset; incredibili quadam & penè Diuina, qua nunc, Tua in præsentia, fruor, lætitiæ voluptate caruissem. Quid dulcius hominum generi à natura potest dari, quàm salus & incolumitas? mihi verò & propter necessitatem meam, & propter excellentem eius bonitatem, omni est auro exoptatior: tamen non tanta fiducia, ab alio expeterem eam, quanta nunc certitudine à Te integerrimo, respecto. Nil cuiquam

quam est vnquam iucundiùs, quàm mihi illæ opes, quæ nec eripi, nec surripi possunt; neq; naufragio, neq; incendio amittuntur; nec tempestatum, nec temporum permutatione mutantur; has ego de Te mihi abundè polliceor, posteaquam Deus, & Tua amplissima merita, me Tibi Sponsam, & mihi Te reddiderunt Antistitem. Pax, quæ est serenitas mentis, tranquillitas animi, vinculum amoris, consortium charitatis, quemq; in vita delectat: non tàm id sentiebam, cùm Te carebam, quàm tunc, cùm Tuo grauissimo, iucundissimoq; fruor aspectu, & affatu recreor prudentissimo. Iam verò homines à vera religione alieni, atq; malecolentes Iudæi, quanquam iniquissimè iam prouinciam eam, putant suam Chananæam: tamen ij nunc minùs audaces videntur, quàm si creatus Episcopus non esses. Ipsa autem Diœcesis, Christe sancte, dici vix potest, quid ornamenti ex Te, quid vtilitatis retulerit! quæ claritas in ea sapientiæ? quæ amplitudo iustitiæ? quæ excelsitas & magnitudo animi? qui ardor pietatis? quod lumen probitatis? quæ pulchritudo humanitatis? qui splendor clementiæ? quæ dignitas liberalitatis? quæ præstantia temperantiæ? quæ omnium virtutum maiestas? quibus ego vniuersis, etiam priùs sic florebam, vt nemo magis. Sed tanquam dies die interdum solet esse clarior; & vt vulgò dicitur, discipulus est prioris posterior dies: sic ea omnia, cùm multùm diuq; nobiscum vixeris, magis, quàm antea, illustria & insignia apparebunt. Quorsum igitur hæc disputo? quorsum? vt quisq; intelligere possit, ita me felicem, Te vigilantissimo Episcopo, ita faustam ac beatam fore, Te Pastore diuinitùs oblato; vt mihi ad id exprimendum, non tàm

Iſocratico, aut Lyſiano, quod propè leue eſt in Sacris, quàm Hieronymiano, alteriuſuè S. Doctoris genere dicendi, ſine fuco & pigmentis, vtendum ſit.

Ac ne id cuipiam dubium videatur, præſtantiſſime Antiſtes, principiò liceat mihi explanare munus Præſulis, ex quo faciliùs & Tua multiplicabitur commendatio, & felicitas luculenter cognoſcetur mea. Quodnam igitur eſt? Otiari, neſcio, quis impudens dicit Hæreticus? at otium, quo nihil eſt fœdius, nihil ſimilius ſepulchro, & Reges, ſimul & beatas perdidit vrbes. Epulari? ſed regnum Dei non eſt ſitum in epulationibus: eoq; potiſſimùm nomine, damnatus legitur Diues ille, quòd epularetur quotidie regificè, & opiparè. Statiorum inutilium pompabilem turbam alere? at bona Eccleſiæ, ſunt bona pauperum, quibus, fame, frigore, miſerabiliter laborantibus, id omne, (teſte Bernardo) crudeliter ſubtrahitur, quidquid inaniter expenditur. Cogitationes Propinquitatis in altum ducere? verùm, ſi mei non fuerint dominati (pſallit S. Rex) tunc immaculatus ero, & emundabor à delicto maximo. Non hoc itaque munus eſt, quod impudentiſſimè Hæretici obiiciunt etiam Sanctiſſimorum in Polonia Præſulum hoſtes; illorum potiùs mendaciſſimi id obeunt Paſtores; qui quò ſunt Seniores, eò viuunt nequiores, & quantò fideliores videntur Miniſtri, tantò fallaciores, atq; magis magiſq; habentur ſiniſtri. En ego veriſſimum eſſe munus Præſuleum dico: Diœceſim, ad Diuinam felicitatem promouere. Namq; ſi Regium eſt, vt Xenophonti in Cyripædia placet: regnum politico humanoq; modo felix reddere ac beatum; nec mihi quiſpiam iure poteſt inficiari, Præſuleum eſſe quàm ſimillimum

limum; siquidem in propria Diœcesi Præsul, omnium Pastor, omnium Rex est animarum. Sequeris hanc sententiam meam, Illustrissime Episcope: & quanto libentiùs sequeris, tantò certiùs meam Diœcesim, ad eam felicitatem, quam, maiorem in modum optat, excitabis. Tria sunt, ex quibus vnius regni felicitas efflorescit, si Philosophorum Principem auscultemus, corporum sanitas, diuitiarum amplitudo, vacantium ab armis diuturna tranquillitas animorum. Hæc omnia, saltem spiritualiter, Diœcesi, vt habeatur felix, adesse oportere, quis dubitabit? cum Deus, summus Præsul, hoc sibi muneris quasi imponit implendum ad sui gregis, sui, inquam, dilecti populi felicitatem. In qua vis sanitatem? en in his patet verbis: Saluabo gregem meum, & quod infirmum fuerat consolidabo, & quod confractum fuerat, alligabo. Vis affluentiam facultatum? in pascuis vberrimis pascam eas, & quod forte, & pingue custodiam, & iudicabo inter pecus & pecus, pingue & macilentum. Vis pacem & tranquillitatem? requiram gregem meum, & liberabo eum de ore eorum, & non erit vltra eis in escam, & in pace mea erit pax ei. Quod cùm ita sit; certè ad exemplum huius Præsulis æterni, quisq; bonus Antistes, omnibus vigiliis, omni studio, atq; operâ contendere debet, vt Diœcesim suæ fidei commissam sanet, diuitem faciat, & pacatam. Quorum præsentiâ bonorum cùm animæ populi beabuntur; nec ipsa corpora, (sic teneo) quopiam indigebunt: quin imò vniuersa eis fausta, læta, prospera, ac felicia largè adiicientur à Patre cœlesti. Atq; vt illa sunt cunctis optatissima, ita mihi à Te minùs iste polliceretur conferenda, qui nesciret Te fuisse opti-

mum Sacerdotem, Canonicum, Suffraganeum, & Abbatem. Ego verò, cùm actum omnem Tuæ vitæ pulcherrimum & laudatissimum cognouerim; adeoq; Te in iis officiorum generibus præstantem, vt iam quodammodo agere Præsulem videreris: committere non possum, quin ea recenseam, quæ mihi dignissima dictu veniunt in mentem. Præditus itaq; excellenti ingenio, artium optimarum studiis, & disciplinâ ornatus, ac primùm pietate insignis, deinde gloriosissimi in omnem posteritatem Patrui Tui Laurentij Gembicki olim Archiepiscopi Gnesnen. hortatu, præceptisq; conformatus, Sacerdos es summi, veriq; Dei factus, & Canonicus Gnesnen. Hic aduerti, eas virtutes, quæ in adolescentia, præclaro animo Tuo insederant, etiam in amplo gradu honoris, comites & ministras fidelissimas Tibi fuisse. Non ignoro autoritatem Tuam in rebus Ecclesiæ propugnandis, & in religione propaganda singularem apparuisse. Optimè scio constantiam, cæterasq; egregias animi dotes, quibus adeò enituisti, vt cæteros antecelleres. Maximè verò illud laudo, quòd præter aliorum consuetudinem, pro salute communi, excubandum Tibi esse existimâsti, faciendo & docendo; vt in populo, quàm latissimè gloria Dei promoueretur. Scilicet didiceras ex literis sacris, id esse proprium Sacerdotis vt faciat & doceat, in vinea Domini Sabaoth; cogitabasq; cum timore illa D. Augustini verba: Nihil esse in hac vita, & præcipuè hoc tēpore facilius, & leuius, & hominibus acceptabilius Presbyteri officio, si perfunctoriè, atq; adulatoriè res agatur; sed nihil apud Deum miserabilius, & tristius, & damnabilius. Ac licet fortunæ bonis abundares: non tamen voluptatum

ille-

illecebris ducebaris, non ambitione tumebas, gloriæq; cupiditate flagrabas, neq; ingentes auri, vel argenti aceruos extruebas, nec lusibus, nec venationibus (quia in Scripturis, teste Hieronymo, non inuentus est sanctus aliquis venator) nec aliis vanis studiis & artibus oblectabaris; sed religionis causâ, omnia faciebas, officiiq; non commodi proprij rationem ducebas, nec deniq; Te quies, aut remissio, vel conuiuia delectabant, sed in laboribus, animiq; contentione, in legendis sacris literis, in habendis sapientissimè concionibus eras totus; vt non immeritò omnibus videre-re cognomen ab ore accepisse, veluti alter Chrysostomus. Vtinam, si qui sunt dissimiles, ex Te, Illustrissime Domine, capiant exemplum! vtinam ipsi sani facti, sanum faciant populum! equidem cessaret Ezechiel clamare: *Væ Pastoribus Israel: quod infirmum fuit non consolidastis, & quod ægrotum non sanastis, quod confractum est, non alligastis, & quod abiectum est, non reduxistis, & quod perierat, non quæsistis, sed cum austeritate imperabatis eis, & cum potentia.* Vidit amplissimum Capitulum Gnesnense, longè Te à reprehensione eiusmodi abfuisse; atq; vt Tibi de Ecclesia merendi campus offerretur latior, perauguste Suffraganeatus munere esse cohonestatum voluit. Quo confirmatum nobilissimum pectus Tuum, hoc vnum agere, cogitare, moliri, somniare cæpit, vt illustrioribus quotidie factis opinionem de se conceptam vinceret. Hic iam vitium Tibi videbatur, non esse optimum: vitæ innocentiâ & doctrinæ præstantiâ non lucere, impium: propria potiùs lucra, quàm ea, quæ Christi sunt, per suscepti muneris gratiam consectari, sacrilegium. Ita hæserat Tibi in animo illud D. Nazianzeni:

 Pri-

Priusquam animam quis pro virili, mentemq; quantum satis sit, repurgarit, longèq; supra alios ad Deum propinquarit; mediatorem inter Deum & homines agere, minimè tutum esse censeo. Memineras & huius, quod Synesius Episcopus grauissimè ait: Prælatum oportet esse virum diuinum, & ad ludum omnem perinde atq; Deum difficilem & durum: qui vt propositum, institutumq; suum teneat, innumeros in se plurimorum conuersos habet oculos; quorum nulla, aut certè perexigua vtilitas est, nisi ita sit factus cordatus quispiam, vt ad mæstitiam sit compositus, & ab omni voluptate alienus. Quocirca, Præsul Amplissime, nullus dies erat, nulla hora, nullum ferè temporis spatium, quo non intentus esses, inusitato atq; incredibili propagandæ religionis Catholicæ studio, quo non arderes populum ab egestate atq; incitis huius vitæ, ad illius futuræ cælestes traducere diuitias. Testes sunt Vrbes, vici, oppida, Ciuitates, quas Tu circumiens sæpenumero, diuinis opibus cumulabas per Sacramentorum administrationem, & alia sanctissimæ fidei nutrimenta liberaliter proposita. Testes sunt egenorum turbæ, in quos Tu insignem quotannis beneficentiam declarâsti, memor Augustiniani dicti: Esurientium panem esse, quem Ecclesiastici detinent Viri, nudorum vestimenta, quæ illi recludunt, miserorum redemptionem esse pecuniam, quam illi refodiunt, infirmorum solatia esse delicias, quibus illi insolescunt. Testes denique ipsi illi homines auersi impiorum Hæreticorum callidissimis insidiis à vera religione, quorum Tu animas Christo recuperatas, omnibus mundi fortunis pretiosiores, diuinâ splendentes immortalitate, Ecclesiæ pro opimis spoliis habitas

bitas consecrâsti, obtulisti. Atq; hæc omnia in pascuis v-berrimis à Te pasta, cùm Tuarum altissimarum testantur exercitia virtutum, gratissima Apostoli voce vehementer cupiunt, vt dum apparuerit Princeps Pastorum percipias immarcescibilem gloriæ coronam, vnâ cum Illustrissimo Georgio Tyszkiewicz nunc Samogitiæ Episcopo, & Reuerendissimo Thoma Oborski, Viris de antiquo Astrææ sæculo, religionis zelo commendatissimis, quorum ille Vilnensis, hic Cracouien. Suffragan. tanta celebritate famæ, quanta tu es, ex simili gesto munere, Vniuersis etiam absentibus sunt noti. At de magnis (vt olim protulit Sallustius) tacere satius est, quàm pauca dicere. Te modò vnum, optime Antistes, cum reuerentia admiror, & prouehor longiùs in hoc immenso laudis Oceano. Age verò, vbi Te Trzemeszno, summa cum Religiosorum & Regis Sigismundi voluntate Abbatem accepit, atq; inter Abbates in Polonia primum constituit; qualis fueris, quàm sedulò pacem in Ecclesia Dei curaris, libet considerare. Primò enim Tui officij esse censuisti. tueri Te, domumq; Tuam ab omni peccati labe, humilitatis iacere fundamenta, amoris ignem in Deum, in Tuæ pietati & prudentiæ creditos colligere luculentiorem. Deinde non satis putasti morum sanctitate, sapientiæ splendore alios ad virtutem incitare; verùm imposuisti tibi necessitatem perpetuò in omni honestate, atq; virtute proficiendi, neq; propositâ etiam pœnâ, inuidiâ, morte, ab eo, quod Ecclesiæ dignitatem, Dei gloriam, omnium salutem & tranquillitatem spectet, recedendi. Et quamuis iam mos ille laudabilis obsoleuerit, quo tenebantur Abbates, certum numerum nobilium pu-

grauibus Ecclesiæ ac Reipub. causis felicissimè à Te peractæ spectabant, nisi concordiam & pacem? Quid toto ferè orbe decantatissimæ Legationes iam cum Wołucio Episcopo & pietate & scientia illustrissimo, iam cum Ossolinio Regni dignissimo Procancellario, non sine itineris, & locorum maximâ incommoditate Romam acceptæ intendebant, nisi quoq; concordiam & publicam tranquillitatem? O eximiam ac propè Diuinam Tuæ Fasciæ naturam! ô singularem, atq; admirabilem virtutem! Ipsa mehercle vrbs, religionis sanctissimæ augustissimum domicilium, celeberrimum populis, omnibusq; nationibus perfugium, arx Christianæ sanctitatis munitissima, cùm vidisset, quid spectares, & intenderes in celebri illa legatione, mirificè collaudauit Tuum animum, tam amantem, tam cupidum communis pacis, eamq; tot annis ab omnibus bonis exoptatam literariæ Reipub. per Te detulit Sanctissimi Pontificis decreto. Hic ego, Reuerendissime Præsul, iam amplior in dicendo esse nolo: siquidem & Tibi plura fuerunt facta, quàm mihi verba; & maiora habuisti vitæ decora, quàm habere possis encomia Oratorum. Id solùm infero; si Canonicus, Suffraganeus, & Abbas tantopere felicitati consulebas, vt sanitas, diuitiæ, pax, cum Ecclesiæ, tum Patriæ fuisset à Te toties allata: & quisquam dubitabit, modò, cùm es tam sublimis Episcopus, me Tua curâ, Tuo beneficio conscensuram per altos felicitatis gradus?

Enimuerò licet anteactam vitam Tuam penitus ignorâssem: tamen posteaquam Te Illustrissimus Boguslaus Radoszowski in sua ætate senili, subsidium & ornamentum huius Luceoriensis esse voluerat Episcopatus; tum abun-

grauibus Ecclesiæ ac Reipub. causis felicissimè à Te peractæ spectabant, nisi concordiam & pacem? Quid toto ferè orbe decantatissimæ Legationes iam cum Wolucio Episcopo & pietate & scientia illustrissimo, iam cum Ossolinio Regni dignissimo Procancellario, non sine itineris, & locorum maximâ incommoditate Romam acceptæ intendebant, nisi quoq; concordiam & publicam tranquillitatem? O eximiam ac propè Diuinam Tuæ Fasciæ naturam! ô singularem, atq; admirabilem virtutem! Ipsa mehercle vrbs, religionis sanctissimæ augustissimum domicilium, celeberrimum populis, omnibusq; nationibus perfugium, arx Christianæ sanctitatis munitissima, cùm vidisset, quid spectares, & intenderes in celebri illa legatione, mirificè collaudauit Tuum animum, tam amantem, tàm cupidum communis pacis, eamq; tot annis ab omnibus bonis exoptatam literariæ Reipub. per Te detulit Sanctissimi Pontificis decreto. Hic ego, Reuerendissime Præsul, iam amplior in dicendo esse nolo: siquidem & Tibi plura fuerunt facta, quàm mihi verba; & maiora habuisti vitæ decora, quàm habere possis encomia Oratorum. Id solùm infero; si Canonicus, Suffraganeus, & Abbas tantopere felicitati consulebas, vt sanitas, diuitiæ, pax, cum Ecclesiæ, tum Patriæ fuisset à Te toties allata: & quisquam dubitabit, modò, cùm es tam sublimis Episcopus, me Tua curâ, Tuo beneficio conscensuram per altos felicitatis gradus?

Enimuerò licet anteactam vitam Tuam penitùs ignorâssem: tamen posteaquam Te Illustrissimus Boguslaus Radoszowski in sua ætate senili, subsidium & ornamentum huius Luceoriensis esse voluerat Episcopatus; tum abun-

abundè iam experta fui, Te nihil aliud cogitasse, nihil egisse, quàm vt populum Diœcesanum ad hanc felicitatem promoueres dulcissimam. Nunc autem, cùm sis meus Episcopus creatus; quid me necesse est referre, quibus ego fortunæ luminibus, quauè gloriæ pulchritudine resplendescam? Equidem, vt sol ingressus in Leonis signum, maximè suos radios explicat, caloreq; vehementiori incendit omnia: ita Tu in altiore dignitatis fastigio positus, multò maiores virtutis fructus edere, multoq; clarioribus factis incipies me illuminare. Addit mihi animum, Regum Magorum astrum expressum Tui quodam modo simulachrum: ad cuius anniuersariam in Ecclesia commemorationem, diuino potiùs, quàm humano consilio distulisti solennem Tuum in Cathedram ingressum. Illud astrum, non, vt cætera, quæ ab Occasu in Ortum rapiuntur, ab Ortu potiùs ferebatur in occasum: Tu, non, vt cæteri, (de quibusdam dico) qui vmbram Ecclesiæ fugere, lucem aulæ amare, detrimenta Diuinæ gloriæ non vereri, ornamenta laudis propriæ aucupari eligebant: non, inquam, vt cæteri, quos refert Rodericus Zamorensis, Tu præesse quærebas priùs, quàm prodesse scieras; nec antè Sponsorem, seu alienæ vitæ fideiussorem Te constitui optaueras, quàm tueri vitam propriam valebas: nec deniq; magnæ classis gubernacula appetiisti, priùs, quàm potueris scapham dirigere paruam. Illud astrum, non, vt cætera, quæ alternâ vicissitudine occidunt & nascuntur, die nocteq; semper lucidum, semper splendidum visebatur: Tu, non, vt cæteri, qui iam humiles, iam superbi, iam placidi, iam immites; non, inquam, Tu fueras, vt illi, quorum meminit Saresbe-

rien-

riensis in Policratico. In aduersis Tu semper constans, in prosperis semper temperans, in periculis semper prouidus, in laboribus semper impiger, in laudibus semper verecundus, in omnibus nunquam alius, semper idem. Illud astrum, non vt Aquilonares vrsæ singulæ singularum præsides regionum, tribus Regibus dux itineris antecessit, in quibus credit Anselmus, totam Asiam, totam Africam, totam Europam, orbem deniq; totum adumbratum: Tu, non, vt cæteri, vno inclusi loco, paucos visunt, consulunt paucioribus, paucissimis aditum in cælum moliuntur: non, inquam, vt cæteri, quos arguit Pelusiota, Tu es, erisq; Dei benignitate fauente. Aderis Tu clemens & salutare sydus infidelibus, præsto eris Orthodoxis, consules Clero, doctis prouidebis, egenis ministrabis, religiosis anteibis, Tuam operam, Tuum auxilium omnibus ad æternæ beatitatem vitæ impendes. Ad spem maximam futurorum, & quemadmodum confido, verissimam adducunt me hæc tria: Andreas, Gembicki, Episcopus.

Quòd Andreas es; sustines magnam expectationem imitandarum virtutum Andreæ Sancti Apostoli. Homines ille in Scythia, Epiro, ac Thracia, doctrinâ & miraculis conuerterat plurimos ad veri Dei cultum: Tu id, inter tot alia, doctrinâ & scientiâ persuadebis, ne religionis fucatæ impostores, qui in hac Diœcesi sunt permulti, erigant impia capita, ne ad Tribunalia deputentur, ne Iudices, Nuntiiuè eligantur Terrestres, ne deniq; vllum gerant Magistratum: siquidem indignum est à perfidis in Deum & homines, iudicari fidelem Dei populum; indignum, inquam, & maximè iniquum Orthodoxos probatissimos Viros,

quaſi ad hoc munus ineptos poſtponi aduerſariis; cùm etiam fieri non poſſit, vt iſti iudicent iuſtè, qui extra quidem videntur, tanquam Statuæ Thebanæ ſine manibus, & oculis, intra verò ſunt Harpyiæ, ſunt vulpes doloſæ, ſunt Lycaones, ſunt (Chriſto ſi credimus) lupi rapaciſſimi; à quibus non modò non iudicari, ſed procul amoti eſſe conuerſatione tenemur ſub pœnâ grauis excommunicationis. Hac Tu ratione, eludes factioſorum hominum conatus, comprimes audaciam prauitatis Hæreticæ: Reipub. autem gratiſſimus, Ordini Tuo charus, Nobilitati bonarum partium ſtudioſæ, vt verus Paſtor, omni veneratione exiſtes colendus. Et quamuis non vnus Ægeas erit, qui tibi propterea ſtomachabitur: nihilominùs Tu, cùm ſis Andreas, id eſt fortiſſimus vir, omnia contemnes fortiter propter IESVM Chriſtum, eiuſq; verborum puriſſimam veritatem. Et quia doctrinam, veluti ſerpentes incantationem, non audiunt Iudæi, miracula duntaxat cupientes: Tu igitur, Duce Deo, miraculis cum iis ages, reputans tecum; Seruinè illi ſunt in Sarmatico imperio, an liberi? ſi liberi & pacifici, nec Chriſtianis vllas moliuntur inſidias; meritò liberè tractantur à Ioſephis: meritò eorum ſacci implentur frumento, & pecunia, & ſcyphis: meritò ipſi diliguntur, introducuntur in aulas, conſtituuntur coram Dynaſtis, qui in optimo loco faciunt eos habitare, & tradunt eis oppida, locant villas, molas, & ampla prædia, vt comedant medullam terræ, ſedeant ſuper ollas carnium, & comedant panem in ſaturitate. Sin verò ſunt ſerui, & mancipia, vt ipſi fatentur, cùm Chriſtianos appellant Tyrannos, & in Synagogis, quotidie diris deuouent: ſi omnis congregatio eo-

rum

rum ingrata est, ac murmurat contra Deum, contra Sacerdotes, & omnem populum Christianum: si oderunt Iosephos, nec possunt eis quicquam pacificè loqui, si nefariè effundunt sanguinem eorum, si nudant illos tunica talari, & polymita, si spoliant vasis argenteis, & aureis, ex iisq; faciunt vitulos conflatiles, si deniq; populus iste duræ ceruicis est, semen nequam, sentina vrbium, viperina progenies, generatio praua atq; peruersa, dereliquit Deum factorem suum, & recessit à Deo salutari suo, ob quod irascitur furor Domini contra eos; cur igitur recipiuntur libenter à quibusdam? cur cum eis iunguntur amicitiæ, quæ sunt nobis in ruinam? cur sæpenumero in iudiciis plus defenduntur, quàm Christiani? cur in causis etiam iniustissimis liberantur? cur, præpostero modo, licitum est eis, pro seruis habere Christianos? cur ipsi potiùs non seruiunt seruitutem, cui traditi sunt ab irato Deo? cur vacant otio, & acquiescunt verbis mendacibus? cur non exturbantur de melioribus Ciuitatum locis? in summa, cùm supplantant, emungunt, exsugunt populum peiùs, quàm sanguisugæ, atque atrociter pungunt, & interficiunt impunè tot animas infantum, cur non flagellantur, & vel in manu robusta, de terra nostra non eiiciuntur ad Turcas, ad Tartaros, suos ex Mahometo affines? Hæc, Illustrissime Antistes, vt simul, Te incitatore, fient Iudæis, in mea Diœcesi habitantibus, profectò facies grande miraculum; citiùs inuocabunt verum Messiam, agnoscent, & adorabunt Christum: Tuam verò vniuersi mirabuntur virtutem, & prædicabunt amplissimam; atq; hoc miraculo, crede mihi, claresces magis, magisq; in omnem consequentis ætatis memoriam. Non du-

bito fore multos Hebræorum fautores, qui super hæc mea indignabuntur verba; sed videat Dominus, & iudicet, quoniam fætere isti faciunt odorem nostræ veritatis, & mendacij Iudaici fætorem odorari coram se, & præbent eis quodam modo gladium, vt occidant Christianos. Vtinam saperent, & intelligerent, ac nouissima prouiderent!

Iam verò, quòd Episcopus es; maximam ergo, grauissimamq; personam geris. Etenim adscitus es in numerum sapientissimorum, optimorumq; Virorum, qui sunt Ecclesiæ lumina, columnæ, firmamenta, speculatores, vnde & Episcopi appellantur: cooptatus in amplissimum Poloniæ Senatum; receptus in Collegium summorum Consiliariorum, quibus cum partim Vladislaus IV. Monarcha inuictissimus Sarmatici mundi, partim Metropolitanus Gnesnen. Ioannes Lipski Primas & Princeps Regni, de grauissimis quibusq; Patriæ & Ecclesiæ rebus consultat, & decernit: proinde Tu statim coniicies, quàm vero verius sit S. Ludouici Episcopi Tolossani dictum: Episcopalem dignitatem, non tàm grandis nomen esse honoris quàm oneris. Vnde, profectò non omnes hunc solem aspicere possunt; vel in luce caligabunt oculi, non ad hoc talis dignitatis culmen aspirare possunt, aut imbecillis illos spiritus relinquet. Possunt illi tantùm, qui sapientes, rerum intelligentes, ac quorum probata conuersatio est, vt Scriptura testatur. Possunt, inquam, illi, qui testimonia probitatis, singulas per ætates habent, vt cum Platone dicam; aut si tecum, Sponse Illustrissime, loquar, quorum virtus egregia, doctrina admiranda, nobilitas & autoritas eximia, probitas & integritas supra omnes spectata, vt verè dici de illis vetus illa

Ro-

Romana lex possit: Hic Ordo vitiis careto, cæteris specimen esto. Quo in Ordine, cùm Tu iam beneficio Dei, meritisq; Tuis existis, id est inter eos es, quorum humeris velut Atlantum quorundam vniuersæ Reipub. & Ecclesiæ moles recumbit; certè ex illius Sancti Episcopi sententia, Tibi summus iste honos, summum quoq; est onus. An non est onus, Ecclesias Patronorum fraudibus, vel Pastorum negligentiâ collapsas erigere, deformatas ad decentem splendorem restituere; mores, vitam, religionis puritatem lustrare diligentissimè per suam Diœcesim; & vnumquemq; suis consiliis, suis cohortationibus tenere in officio, atq; ad propriam vitæ stationem reuocare? An non onus est, pietate & doctrinâ excellentes, Ecclesiis prouidére Sacerdotes? qui pro Dei honore, pro dignitate religionis, pro aris, pro focis, interritâ & constanti sciant dimicare contentione, perq; omnes aduersariorum dolos & insidias, viam sibi munire ad gloriosos ex libertatis Ecclesiasticæ vindicatione triumphos? An non onus est, nonnullos Plebanipetas coërcere? quorum tanta licentia est, vt vnus tria, quatuor, quinque, vel plura teneat Sacerdotia, citra necessitatem, citra scrupulum animi; noritq; in tanto progredi numero vsq; ad minimos lanulæ reditus inclusiuè, ignarus ouium, quia non cognoscit eas, nec illæ cognoscunt eum; ignarus obligationum Ecclesiæ suæ, vbi Missæ, & cætera ei incumbentia pro defunctis onera non persoluuntur, Confessiones non excipiuntur, pleriq; sine Sacramentis moriuntur, atq; cum meo summo dolore condemnantur. An deniq; non onus est, Scholas & Gymnasia, hoc est, ipsius sapientiæ domicilia constituere, propagare, fideles magistros beneficiis

fouere, ornare? à quibus doceantur, atq; consuefiant iuuenes, & Tibi sapienter monenti parere; & talia à teneris probare, atq; agere condiscant, quæ bonos, gloriosos, ac felices illos matura iam ætate possent efficere Reipub. Ciues; vel exercitationibus pietatis, continentiæ, Diuinarum literarum instructissimos Diœcesi Tuæ ac toti Regno Sacerdotes reddere. Grauia sunt, quæ dico, grauia, crede mihi, Illustrissime Præsul, quæ Tibi omnia, in hac Sede Episcopali collocato, sunt perferenda non solùm fortiter, sed etiam libenter, dummodò Tuis laboribus populo meo, dignitas, salusq; pariatur.

Postremò Episcopus Gembicki es; quod est dicere Magni Cancellarij Poloniæ, Petri Gembicki Episcopi Premyslien. Frater; & inprimis gloriosæ recordationis Laurentij Gembicki Archiepiscopi Gnesnæ, ex fratre nepos es; ad quorum imitationem, tanquam exemplarium perfectorum, debes Te effingere totum, ac formare diligenter. Atq; hoc loco audire mihi videor hunc Laurentium Gembicki ab illis Cœlestium sedibus (vbi cum Gembicianis Heroibus, quos in conuentu beatorum degere spes est, de Tua dignitate lætus adhuc gratulatur) appellare Te, atque his paternis vocibus admonere: Andrea, quem vt filiolum semper vnicè amaui, quem domi mecum a pueritia alui & educaui; videsnè quò me mea virtus inuexerit? nostinè quibus officiorum, optimorumq; studiorum passibus in cœlum ascenderim? per eadem vestigia sequere cursim antegressum. Habes vastissimam, ferèq; per centum viginti milliaria extensam, ad regendum Diœcesim Luceorien: tota Podlachia, Volinia, & pars magna Russiæ, totus Bra-

cla-

clauienſis Palatinatus, & in Lithuania Vniuerſus Tractus Breſtenſis Tibi ſubeſt: quantus labor, quanta difficultas ſit præeſſe omnibus & prodeſſe, Andreas de Pławko, primus Epiſcopus Luceorien. Anno D. 1428. & Ioannes, qui fundauit, Ciuitatem Ianow, Anno D. 1462, & Albertus Radziwilus poſtinde Vilnam dignitate tranſlatus, & Paulus Wołucki Epiſcopus piiſſimus, & Andreas Lipski, Vir prudentiſſimus, & Stanislaus Lubinski homo integerrimus, cæteriq; omnes, qui ante Te vnus & viginti fuerant, multò ſunt cum ſudore experti. In hac Diœceſi habitant Magnates Ampliſſimi, ex quorum numero commendatiſſimus eſt Hieronymus Wołowicz magnis Reipub. functus muneribus, nunc Capitaneus Samogitiæ plenus dierum, plenus operum eximiorum ſenex; huic proximus adeſt Albertus Stanislaus Radziwił S. R. I. Princeps, Cancellarius inclytus M. D. L. deinde Alexander Ludouicus Radziwił virtute, prudentia Illuſtriſſimus Princeps, Marſchalcus ſupremus; præterea Stephanus Pac Procancellarius conſilio & lingua promptus, animoq; magnus. Adde his Dominicum Ducem Zasłauien. in Oſtrog, Solem Voliniæ & Ruſſiæ, adde Ioannem Zamoyski Thomæ Cancellarij filium, ſpem altam Reipub. & columen ſuæ familiæ, Tibiq; cognationis vinculo iunctum. Huc pertinent à ſapientia dicti Sapihæ, vnus Marſchalcus Curiæ & lux ſplendidiſſima Lithuaniæ, alter Palatinus Breſten. corpore licet æger, ingenio tamen & mente ſaniſſimus: his finitimi ſunt præclariſſimi Tryznæ Nicolaus Theſaurarius, & Gedeon Inciſor, gloria M. D. L. Ab his Magnanimus Caſimirus

rus Tiſzkiewicz, Succamerarius Breſten. dulce decus & robur Patriæ; cuius Genitor vt Mars alter, ſplendore, & ingenio militari vehementer excelluit. Tum Szuyſcij Ioannes Vexillifer & Alexander Tribunuſpleb. Breſten. Viri lectiſſimi, fide & nobilitate clari: tum Gabriel Irzykowicz Succamerarius Mielnicen. & Nicolaus Loknicki, Signifer Bielſcen. præſidia & ornamenta Reipub. Inter quos principem locum tenet fortiſſimi Niemiræ, præcipuè verò Staniſlaus Palatinus Podlachien. Albertus, Alexander, & Conſtantinus Viri pietate in Patriam & armis præſtantiſſimi. Poſt hos Vodinski, Caſtellanus Podlachiæ, tum Leſniouolſcij, Olientij, Silnicij, Chadzenski Præfectus Nurenſis, Mleczko Capitaneus Mielnicen. Luzeſcij, Troianowſcij, omnes magnis rebus geſtis in Polonia clariſſimi. Sed quid ago? aut quò me fero? non homines, ſed ſtellas dinumerare videar, ſi ordine perſequar, qui Viri, qui Heroes ad Tuam pertinent paſcuam. Huc enim ſpectant Illuſtrium Familiarum Viri, Poćieie, Ielenſcij, Buchouiecij, Enchimouſcij, Wereſczaka, Witanouſcij, Lyſczynſcij, Hornowſcij: denique Viri fortes ac ſtrenui Chriſtophorus Piekarski, Pocillator Breſten. Balthaſar Bobrownicki, Ioannes Srzednicki, Abrahamus & Hieronymus Zawiſſæ, aliique quos generatim ponere cùm res ipſa, tum ratio inſtituti operis me cogit; ne non verba ad Te facere, ſed catalogum hominum legere videar: quod cum re ipſa ineptum, tum ab hoc meo inſtituto alienum eſt. Præſertim cùm ipſa Collegia Luceorienſe, Breſtenſe, Bialenſe, Ołycenſe, Seminaria omnium

um virtutum & diſciplinarum tam ſpectatam in Tua Diœceſi habeant iuuentutem, vt nihil ad eorum deſideretur laudem perfectam. Nominatim verò in Bialenſi Lycæo, à iuuene iuuenem lectum fuiſſe diceres, vt Brzoskas Ioannem & Stanislaum Illuſtris Viri Ioachimi Pocillatoris Nurenſis natos, vt Vrouiecios Zbigneum, Ioannem, Franciſcum, magnam Regni & vnicam Familiæ ſpem; vt Szuyſcios tres elegantes pueros, vt Caſimirum Krakow, Paulum Soſnowski adoleſcentes egregios. Thomas item Szeliſcius boni & optimi Viri filius hoc in numero eſt: deniq; Victorinus Wilski, Paulus Sawicki, Wladiſlaus Gołynski, Ioannes Zawiſſa, Nicolaus Chadzenski, Romanowski, Reczyna, Loknicki, Zaleski, Guzelph, Golianski, compluresq; alij nobiliſſimi iuuenes, ſpectatiſſimorum Patrum filij, quos enumerare longum eſt, & non neceſſarium. Et hos paucos poſui de multis, vel ideò libenter, quia honeſtiſſima artium ac vtiliſſima ſtudia, à quibus ego nullum confiteor ætatis meæ tempus abhorruiſſe, ipſi quoq; vehementer colunt. Proinde vt bonos & modeſtos Studioſos literarum cupio ſub Tuo eſſe patrocinio; ita omnes illos Summates, Equiteſq; ornatiſſimos, partim beneuolentiâ Tua obligatos habebis, partim autoritate atque exemplo ad obſequendum Tuæ paternæ voluntati paratiſſimos efficies Filios. Et quamuis eſt Tibi excellens ingenium, iudicium, prudentia, ſingularis, cæteriſq; naturæ bonis eximiè præſtas: attamen vt ſecurior ſedeas gubernator ad clauum Eccleſiæ Luceorien. tanquam nauis in hoc

periculoſo mundi ſalo fluitantis; iubebis tecum in puppi ſedere ſcientiâ rerum gerendarum peritiſſimos Viros Stanislaum Łozam Suffraganeum, Georgium Grochowski Præpoſitum, Nicolaum Kraśicki Archidiaconum, Petrum Vſzynski Cuſtodem, Luceoriæ. Ad gubernaculum tecum moderandum accerſes illuſtres virtute ac eruditione Samuelem Łaſcz, Valerianum Wilczogorski & alios Canonicos Luce. veluti nautas induſtrios, & qui poſſunt prudenter vela pandere, antennas erigere, rudentes explicare, claſſes hoſtiles è ſpecula, tempeſtateſq; præuidere. Inſuper omnem in Epiſcopa Tua optimum Clerum de ratione gubernandi conſules, quia & ſcientiſſimi gubernatores ab imperitis etiam vectoribus, æquo animo admonentur. Ac licet Diœceſis Luceorien. affluat Sacerdotibus, quibus ingenio, ſcientiâ, prudentiâ, eloquentiâ, probitate, cunctiſq; ad Sacerdotium virtutibus, haud ſcio, an Diœceſis aliqua habeat pares: nihilominùs ex plurimis vel hos etiam viros maximos, Ioannem Zaleski Officialem Podlachiæ, Nicolaum Kroſnowski Bielſcenſem, Stanislaum Korzynski Officialem Lukouienſem, Parochum Trzeb. Ioannem Korycki Codenſem, Stanislaum Vśćianski Viſnicenſem, Matthiam Drwecki Białenſem, Ioannem Broſcium Miedzyrzecenſem, Gabrielem Miłoſzewski Szereſzouien. Erneſtum Falko Wierzchouicenſem. Præpoſitos, Blaſium Zmigrocki Wyſtyczenſem, Petrum Oſtrowski Opolenſem, Stanislaum Lomazenſem, Ioannem Szymborski, omneſq; de Eccleſia præclarè meritos Parochos & Vicarios amore ſingulari proſequêre: ipſi

au-

autem Te colent, & ſummo afficient honore, atq; omnia facientem tanquam Miniſtri adiuuabunt perlibenter: curſabunt per foros, præſtò erunt imperanti, nauigium verſus cæleſtem portum propellent, nonnunquam ſordes eluent peccatorum, & in carinam deſcendentes ſcelerum ac flagitiorum ſentinam haurient, interdum quaſi Symphoniaci ſerui celeuſmate canendo, populum ad virtutes excitabunt; inuocatis quandoq; in partem laboris, florentiſſimis Dominicanis, religioſiſſimis Auguſtinianis, integerrimis Franciſcanis, ſanctiſſimis Bernardinis, beneuolentiſſimiſq; Patribus. Quorum omnium, vt doctrinâ ac pietate Eccleſiæ ſanctitas elucescit, hoſtes Hæretici profligantur, fines ad Antipodas vſque protenduntur: ita Tibi, qui es autoritate Chriſti Saluatoris Piſcator tot mortalium inſtitutus, ad rete vel fractum vetuſtate, vel diſciſſum à piſcibus, reſarciendum, aut certè ad trahendum, ad littus, iam plenum piſcium, manus auxiliaria eſt pernecеſſaria. Et herclè magis eorum probatur cœlo, terræq; adiutorium, quàm illorum Aloadarum, vel Æneanum; qui ſponte pollicentur ſe fore Piſidas, Naſamones, gratiſſimaſq; ciconias erga ſuorum ſenectutem; poſtea vel corniculam Socratis gerunt, vel Coracis induunt mores, quos conſcientiæ obligatio requirebat quaſi Anthias eſſe, aut Scaros: vno verbo eloquar, Coadiutores, non Giezios, ſolaq; neceſſitate Eccleſiæ atq; zelo Domus Domini, non diſpade excitatos, non aliquo reſpectu alio, ad id munus perductos. Quod cùm videris diligenter in Tua Diœceſi, etiam illud aduertes, vt quiſq; ſuum cuſtodiat ouile, ſuum gregem pa-

scat fideliter, penes illum resideat, in conductam Sacerdotum coronam, animarum non reiiciat solicitudinem; ipse solus vel aulicis negotiis sese mancipans, vel quiduis aliud agens, quàm ministerium Ecclesiæ subiens. Scis enim neminem Vicarium esse meliorem Aarone & sanctiorem; et tamen in eius præsentia, Moyses, antequam à colloquio Dei ex monte Sinai reuersus est, audiuit in Castris vocem cantantium, & cùm appropinquâsset ad castra, vidit vitulum & choros, peccatum populi maximũ. In summa, contendes omni studio, vt (quemadmodum tu facere soles) Sacerdos infirmetur cum infirmo, cum scandalizato vratur, pro fratre fiat anathema, suamq; ponat animam pro subdito; vt, inquam, tanquam Samaritanus liget vulnera proximi, cum eo faciat misericordiam, ducat eum in stabulum Ecclesiæ Dei, reddat, quæ vltra ei necessaria sunt: atq; vt alter Ioseph, frumenta in Ægypto diuidat, pauperem liberet à potente, mærentem consoletur: vt alter Iob, de velleribus ouium suarum calefaciat inopes, viatoribus ostia aperiat, vt dicere possit cum Moyse: *Tu scis Domine, quia nec asellum, nec quid aliud acceperim ab eis, nec quenquam afflixerim:* vt cum Samuele ad populum aiat: *Loquimini coram Domino, & coram Christo eius, vtrum bouem cuiusquam tulerim, aut asinum, si quempiam calumniatus sum, si oppressi aliquem, si de manus cuiusquam munus accepi, illudq́ restituam vobis;* vt deniq; cum Ambrosio, *vasa conflet sua, & det captiuis, & pauperibus;* cum Paulino Nolano, *pro redimendo filio parochianæ viduæ, mitram & baculum, & indumenta vendat Pontificalia.* Non erit (ita credo) quisquam ex Tuis, huic

huic tàm piæ contentioni Tuæ contrarius; amentur modò Sacerdotes digni, promoueantur boni & docti: at sæpè fieri aliter hoc sæculo videns tristatur cœlum. Neq; duntaxat in id Tibi incumbendum est, charissime Nepos; verùm etiam, propagare debes studia literarum, & artium optimarum: itaq; Collegia & Gymnasia Wilscij, Christ. Franc. Zaierscij, (vt cætera nunc sileam copiosa & affluentia Tibi iam nota) foue Tuâ protectione benignâ, vt potissimùm Tuo gregi, pateant, Tuis sub auspiciis stabiliantur atq; sese efferant, Teq; doctrinarum omnium quasi altero Mecænate ad ampliores fruges effundendas reuirescant. Tibi enim, mihi crede, hæc cura reseruatur, Te manet hæc defensio, Tua hæc est tutela, Tibi iure debita, quòd & Tu plurimarum doctrinarum scientiam mente sis complexus. Sequere in hoc Collegiorum patrocinio suscipiendo vestigia Tui Fratris Petri Cancellarij Regni Nepotis mei, qui ad cæteras amplissimas virtutes, hanc quoq; adiunxit, eximiam, vt doctos & literatos homines diligat, amet, promoueat, ornet, tueatur, qualem semper Minerua Academica experta est, & huc vsq; eius protectione atq; amore gaudet, eumque colit ac obseruat, vt fautorem, defensorem, custodem, conseruatorem suæ dignitatis, innocentiæ, integritatis, nec non suauissimæ libertatis. Minimè dubito, id omne à Te præstitum iri facilè; quandoquidem, cum adhuc ferè prætextatus penes me esses, hac in parte multarum mearum aspexisti virtutum exempla, vidisti mores imitatione dignos, combibisti præcepta, quæ paulatim Tibi propinabam: deinde in tot arduis negotiis, iam Eccle-

 siæ,

ſiæ, iam Patriæ verſatus, ita glorioſè Te geſſiſti, vt non modò Gneſnæ, non ſolùm Poloniæ, ſed etiam toti Italiæ, ac Germaniæ ſis notiſſimus. Hæc omnia conuertunt in Te oculos, defiguntq; ſumma obſeruatione cogitationes Regis, Principum, Sacerdotum totius Sarmatiæ, & exigunt à Te, quæcunq; geſſeris, omnia grandia, præclara, genere, maioribus, immortalitate digniſſima. Caue, per Deum immortalem, ne fallas hanc ſummam ſpem de Te conceptam. Paſtor es tot animarum, cærimoniarum Antiſtes, Sacrorum Princeps, cuſtos religionis; non ergo, mi Nepos, Tibi blandiaris ex ſanctimonia huius eminentis ſtatus Eccleſiaſtici: non ſanctorum Filij ſunt, (aiente Hieronymo) qui tenent loca Sanctorum, ſed qui exercent opera Sanctorum. Memineris Gregoriani verbi: Nos qui præſumus, non Cathedræ, non dignitatis, non Ordinis, vel gentis prærogatiuæ, ſed moribus confidere debemus; quia non dignitates, aut ordines Creatori proximos faciunt, (vt dicit Canon) ſed nos aut propria merita coniungunt, aut mala diſiungunt. Fac igitur, quando in tam excelſum gradum euectus es, vt virtutibus omnibus homine Chriſtiano, Principe Viro, & glorioſo Epiſcopo dignis excultus, tum meam, quæ de Te ampla eſt, tum bonorum ſpem, amicorū exſpectationem, & omnium vota longo ſuperes interuallo. His ergo patruis experrectus monitis, Illuſtriſſime Antiſtes, in iſta Tua indole ſpectatiſſima, in tanto ſplendore nouæ dignitatis, in tot naturæ & fortunæ muneribus, Summatum viciniis & amicitiis, excitatus Tuorum vocibus, & optatis, prouocatus maiorum domeſticis exemplis, vrgebis Te ipſum currentē,

vt

vt arbitror; & acrioribus incitabis calcaribus in curriculo Christianæ virtutis. Innocentiâ vitæ, grauitate morū, studio doctrinarum, amore veritatis, bonorū tutela, patrocinio literatorum, beneuolentia in Diœcesanos, liberalitate in pauperes, pietate in Deum, caritate in omnes prætergrediere Tuos æquales & collegas, prætervolabis omnes agnatos, & propinquos, & quæ summa gloria erit, atq; maxima cunctarū victoria, vinces Teipsum. Quod cùm futurum nō ambigā; quis obsecro, me Tuam Sponsam, Tuam dilectam inficiari poterit felicem? quis aut in hac Diœcesi incolumitatem, opes, pacem gregis & tranquillitatem expetet? aut propagationem veræ fidei, morum sanctimoniam, virtutum exaggeratam celsitatē ampliùs requiret? Non certè, non, Diœcesis à te quidquam desiderabit; non Pontificia dignitas vlla re diminuta vel obscurata erit; quinetiam multi bonitate Tua superati, relictis profligatæ vitæ necessitatibus ad Te imitandum totos se component; multi Tuo exemplo, in maximis facultatibus continentiam, in summis honoribus legum æqualitatē colent, discentq; comprimendas esse libidines, extirpandam lucri cupiditatē, pellendam luxuriam, ponendas simultates, donandas inimicitias, vt sancta seruetur Reipub. societas. Quocirca meritò nunc tantopere gaudet Cathedra Te Episcopo, Clerus tam præstanti Patrono: meritò nobilitas, vniuersaq; Luceoriensium Prouincia tam fidelem, diligentem, benignum Præsulem veneratur; & optimarum virtutum non Te iam cultorem aut amatorem profitetur; at custodem, vindicē, propugnatorem, constantissimum, acerrimum, fortissimum

con-

contestatur. Sola Hæreseos, Schismatisq; turba, soli furiosissimi homines ingēti animi metu trepident; namq; impiè auersam callidissimis insidiis, nobilissimam prædam, turpissimè dimittere cogentur; vt simul Te cognouerint, quem non ab innocentiæ defensione, improbitatis vis, nō à iustitiæ vindicatione, impietatis furor, non ab oppressorum leuatione, licentiæ insolentia repressit vnquā. Nunc Te Christe Optime, Maxime Antistitum ac Diœcesum omnium Præses & supreme moderator, quo duce & auspice Illustrissimus Andreas Gembicki ad sublime Episcopatus fastigium peruenit, ex intimis sensibus veneror atq; obtestor, vt eum Præsulem, si ipsius omnia sunt laudatissima & singularia facinora pietatis, iustitiæ, fortitudinis, prudentiæ, humanitatis, beneficētiæ, dignus successus eiusmodi vitâ atq; factis, Tuo cælesti beneficio consequatur: vtq; idem omni gloriâ florescens, ac beatè viuēs, aspiciat quàm diutissimè faustam & festam lucem, quæ ipsum huic Diœcesi commodauit, quâq; suscepit me Luceoriam vt seruaret, seruauit dum susciperet: postremò vti maneat in æuum dubia & anceps palma pulcherrimæ conspirationis, vtrum impensiori pietate Diœcesani Episcopum, an Episcopus Diœcesanos saluos & incolumes, diuites & tranquillos esse malit.

Dixi.

Tu autem loquere, quæ decent sanam doctrinam. Charitas non gaudet super iniquitate, congaudet autem veritati.

Paulus Apostolus ad Titum.

fl. – 3

